

XXXVII Conradi
Mattei Scutar Ven 1498
1.1498









¶ Suo Reuerendissimo Patri & Domino. D.B. Zeno diuina miseratione præsbytero Cardinali sanctæ Mariæ in porticu: Celsus Mapheus Veronensis canonicus regularis congregationis Lateranensis Salutem æternam & commendationem peroptat.

SI reuerendissime pater & domine dixerimus quia peccatum non habemus iuxta Iohannis apostoli sententiam nos metipsos seducimus & ueritas in nobis non est. Ideo pie ac recte a sancta matre ecclesia institutũ arbitror: ut omnis utriusq; sexus semel saltẽ in anno propria cõfiteatur peccata: quo per huiusmodi cõfessionis humilitatem auctori nostro reconciliari mereamur cum quo peccando inimicitiam cõtraxeramus. A quo quidẽ salutari præcepto nec uos qui ecclesiastica præeminẽtia insigniti estis / exemit. Cum magis deceat eos qui excellẽtiori fulgent dignitatem / etiam puriori consciẽtia nitere. Cæterisq; qui præsunt fidelibus non solum beneuiuendi præcepta tradere: sed etiam exẽpla monstrare. Tuo itaq; præcipuo hortatu & iussu ac nõ nullorũ aliorũ patrũ ĩ hoc breui scrutatoriolo aliqua cõgessi capitula: quæ uobis atq; uniuersis ecclesiæ prælatis confiteri uolentibus pro scrutanda conscientia præter cõmunes regulas quantũ coniector satis cõmode inseruire ualebunt. Nã iussis tuæ. R. dominationis nõ parere mihi grauissimum crimen committere uideretur: cum quicquid in me est ingenii uel uirtutis: quod tamen parum uel nihil



esse arbitror: tibi & ecclesiæ sanctæ dei cupiã debere ascri-
bi atq; dicari.

¶ Incipit Monumentum compendiosum pro cõfessionibus Cardinalium / reliquorumq; prælatorũ / præter cõmunes confessionum regulas: a Celso Mapheo Veronẽsi canonico regulari cõgregationis Lateranẽsis congestum.

¶ Capitulum primum de ingressu ad dignitates ordinesq; ecclesiasticos quantum ad seipsos spectat.

¶ Primo an acceperit beneficia: dignitates: uel magistratus ecclesiasticos excõmunicatus: irregularis: suspẽsus: uel interdictus. quia nõ haberet executionem eorum. ¶ An acceperit ordines aliquos similiter excommunicatus: irregularis: suspensus: uel interdictus: uel etiã in peccato mortali: quia semper peccasset mortaliter. Et in primis quattuor casibus non haberet executionem ordinũ. ¶ An acceperit huiusmodi dignitates per symoniã / & maxime beneficia. quia tenetur renuntiare: Et anteq̃ dispensaretur p papã haberet beneficiũ furtiue: nec faceret fructus suos. ¶ An acceperit beneficiũ ad obsequia temporalia principaliter. quia etiam nõ excusatur a symonia. ¶ An procurauerit habere beneficiũ curatũ pro se: & impetrauerit / etiam si sit alias dignus: quia tales preces æstimantur pro indigno uidelicet pro ambitioso & præsumptuoso. Et est symonia: & per consequens peccatum mortale secundum

Thomam.ii^{a}.ii^{e}. q.100.ar.v.iii.respon.iii.arg. & in.iiii. sententiarum di.xxv. q.iii.ar.iii.iii.respõ.ad.iiii. arg: Et secũdum Ray.Hugo.Host.Goff.& alios. Et secundũ ali quos teneretur renuntiare. Pro beneficio autem simplici licet porrigere preces pro se si alias talis sit dignus. Aliqui uolunt ꝙ liceat petere in generali beneficium ad sui sustẽ tationem nõ habẽdo oculos ad curã animarũ neq; ad gra dus dignitatum Tamẽ Augustinus.xix.de ciui.dei.c.xix. dicit: Locus superior sine quo populus dei regi non po test / & si administretur ut decet: indecenter tamen appeti tur.& habetur.viii.q.i.Qui episcopatum. ℭ An habue rit multa beneficia simul curata: uel habentia dignitatem sine specialissima dispẽsatione papæ: quia alias teneretur. ad restitutionem fructuum.extra de præben.c. de multa ℭ An habuerit plura beneficia simplicia uel curata etiam per papæ dispensationem non ad necessitatem sui status sed ad superfluitatẽ.non uidetur conscientia tuta quo ad deũ: quia talis potius dissipatio q̃ dispensatio dicenda est. ℭ An fecerit uarias permutationes beneficiorũ sine spe ciali licentia papæ: quia symoniacũ iudicatur. ℭ An ma le tractauerit beneficia quæ iuste ac iuridice habuit uideli cet in cultu diuino: quia nõ fecit ibi impendi debita obse quia. In ædificiis: quia ea ruere dimisit. In possessionibus quas male curari fecit. Non enim in his excusatur a mor tali: imo tenetur ad restitutionem notabilis dãni si euenit eius negligentia uel incuria. ℭ An male expendit fructus beneficiorum uidelicet ꝙ ultra necessitates suas ac familię

honestæ dedit eos consanguineis non indigentibus adu latoribus: histrionibus: epulonibus: lenonibus: luxuriosa qꝫ parauit conuiuia. quia hæc bona pauperum sunt: & ad redēptionem peccatorū qui ea reliquere: sanguisqꝫ exquiretur eorū: & peccata clamant ad cælū. ¶ An iusta debita cōtracta a prædecessoribus suoꝝ beneficiorū noluerit soluere in damnum pauperum & creditorum: quia tenetur. ¶ An ex fructibus ecclesiæ emerit res īmobiles pro consanguineis: quia huiusmodi res debent esse ecclesiæ. Et an emit nomine alterius ut possit libere legare cui uelit uidelicet filiis suis aut matribus eorum: quia fraus est & sacrilegium: teneturqꝫ ecclesiæ restituere. & non potest ille uel illa tute possidere / licet etiam esset ut dixi filius uel filia. ¶ An non curauerit seruare iura & priuilegia suorum beneficiorū: uel ex negligētia perire pmiserit. ¶ An alienauerit res ecclesiasticas mobilia uel īmobilia nō cū euidenti utilitate ecclesiæ: aut etiā non seruata forma iuris. quia grauissimū peccatū est: Et animæ defunctorū qui ea reliquere uindictam expetunt. ¶ An renūtiauerit beneficiis suis ut dent᷑ nepotulis: consanguineis: amicis indignis uel spe præmii: aut precio iam accepto.

¶ Capitulum secundum de ingressu ad dignitates beneficiaqꝫ ecclesiastica quantum ad alios spectat.

¶ An cōmiserit symoniā in collatione beneficiorū quia si secrete id egit / ultra peccatū mortale est suspensus quo ad se. Si uero notorie / est suspēsus etiam quo ad alios. Si

autem ipse nõ cõmisit quærendũ est an fuerit cooperator uel medius huiusmodi contractus symoniaci uel consiliũ dederit uel saltem nõ prohibuerit in familiaribus in sub/ditisq; suis: cum id sibi ex officio ꝓhibere incumbat: quia etiã hoc pacto non excusaretur a mortali. ¶ An etiam cõtulerit aliquos ordines symoniace. & si id secrete egit ul/tra mortale erit suspensus quo ad se. Si uero notorie / su/spẽsus erit etiã quo ad alios: Sed in utroq; casu ordinatus erit suspensus ab executione ordinũ: & indigebit dispen/satione. ¶ An contulerit ordines alicui clerico non habẽti titulũ uel beneficiũ: uel saltem patrimonium sufficiens: quia ultra peccatum tenetur ei expẽsas facere / quoadusq; prouiderit sibi de beneficio: nisi forte alius episcopus sibi cõmisisset: quia similiter ille ad hãc prouisionẽ teneretur. ¶ An cõtulerit alicui eadem die duos ordines sacros: uel quatt uor minores cum subdyaconatu: quia est suspendẽ/dus a collatione talium ordinũ: ut. c. litteras. ii. &. c. dile/ctus. extra de temp. ordini. Et an contulerit ignoranti & indigno: & non fecerit eum debite examinari: quia ultra mortale est suspensus a talis ordinis collatione per annũ: ut in. c. Nullus. eo. ti. li. vi. Vel cõtulerit alicui alterius dio cesis sine litteris dimissoriis: quia similiter est suspensus p annum a collatione ordinum: Et interim clerici sui absq; ipsius licẽtia possunt a uicinis episcopis ordines recipere: ut eo. ti. eos. libro. vi. ¶ An cõtulerit plura beneficia uni in casu non concesso: uel plures præbẽdas aut dignitates: seu alia plura officia: uel fuerit cooperator huiusmodi col

lationum. ❡ An contulerit beneficia curata non habēti ætatem legitimam quæ est annorum. xxv. aut his qui nolunt se facere ad sacerdotium promoueri infra annum: cū id iure prohibeatur. ❡ An per preces suas carnales impetrauerit beneficium simplex / uel curatum pro indigno: quia tunc æstimantur preces illæ loco præcii / & dicuntur carnales: ut uidelicet si homo ille esset malæ uitæ: uel ignorans: uel ambiens. quia ut dicit Gregorius: Locus regiminis sicut desiderantibus est negandus: ita fugientibus est offerendus. viii. q. i. In scripturis. Aut aliquo alio modo indignus: quia peccatū esset mortale: & iudicat simoniacū & oīa mala quæ ex illa collatione sequūtur / sibi ad iudicium imputabūtur. ❡ An fecerit cōferri beneficia iuuenibus nō intēdētibus clericari sed uxorari: aut pro aliquo tempore gaudere ex prouentibus beneficiorum quia certe peccatum graue est & cōtra intentionē ecclesiæ: eorūq; qui ecclesias dotauerunt. ❡ An quādo contulit beneficia uacātia uoluit pro se spolia defuncti aut fructus collectos beneficiorum retinere aut colligēdos: noluitq; ea tradere his quibus beneficia contulit. ❡ An in dilectionibus præ positionibusq; uirorū ad dignitates prelationes seu beneficia ecclesiastica nō semper præposuit sanctiores: doctores: prudentioresq;: sed potius alios ratione affinitatis: cōsanguinitatis: amicitiæ: odii ue: aut seruitutis. seu ptinacię: quia ī his uix quis a mortali posset excusari. ❡ An promouerit aliquos ad ecclesiasticā dignitatē: uel fuit causa promotiōis eorum præsertim ad animarum curam: quos ipe

nouit perseuerare in peccato mortali: quia sic a nullo do/
ctore excusaretur a peccato mortali / licet ille talis quo ad
alia exteriora æstimaretur dignus. Vnde legitur de sanctis
simo Leone papa q̧ cum per dies quadraginta uigilasset
ad altare sancti Petri pro remissione suorũ peccatorũ: bea
tus Petrus per uisum dixit omnia sibi peccata remissa / il/
lis exceptis quæ ex promotionibus in sufficientiũ commi
serat. ¶ An similiter sustinuerit aliquos tales perseueran
tes in peccato mortali in hmõi beneficiis curatis: cum eos
posset ammouere si illud sibi incumbat ex officio: quia il
lud est reliquere gladium in manu furiosi propter hoc nõ
excusatur a mortali / maxime ex regula quæ ait: Qui cau
sam damni dat dãnum dedisse uidetur. ¶ An fuerit im/
pedimento habentibus zelum ecclesiæ dei: ut non propo
nant meliores doctioresue ad dignitatesq; officia ecclesia
stica. ac etiam ne alia multa bona sanctaq; & ad reforma
tionem ecclesiæ dei necessaria exequãtur. imo tales uiros
deluserit detrahendoq; eis hypocritas uocauerit.

¶ Capitulum tertium de regimine uitæ quantum spectat ad seipsos.

¶ An existẽs in peccato mortali: uel excõicatus: seu suspẽ
sus: aut irregularis: uel interdictus: executus fuerit officium
alicuius ordinis: quia semper mortaliter peccasset. Si autẽ
excõicatus: suspensus: uel interdictus: ultra peccatũ morta
le incurrit irregularitatẽ. Sed irregularis pro quacunq; ui/

ce exercet officium suum peccat mortaliter. ❡An concubinam notorie tenuerit: quia suspensus est ab executione beneficiorum & ordinum: & maxime a celebratione missæ: & si exequitur efficitur irrigularis & indiget dispensatione papæ secundum Host. ❡An laxauerit habenas ad consuetudines uanaqꝫ colloquia cum mulierculis / ex quo multi scandalizantur: & ipse hoc nouit: licet malum non sequatur in seipso / nõ tamẽ est tutus a peccato mortali ꝓpter scandalum aliorum: quia ut plurimum minores maiorum imitantur exempla. Similiter de consuetudine etiã masculorũ formosorũ ac more mulierũ ornatorũ aliqua perscrutatio fieri potest propter scandalum & murmurationes pusillorum. ❡An libenter aures præbuerit delatoribus murmuratoribusue: seu ad detrahendũ alios induxerit / maxime de summo pontifice: cum grauius periculosiusqꝫ illud sit crimen. Nam secundũ Bernardum / & detrahens & audiẽs diabolũ portat / ĩ mortaliqꝫ crimine uersatur. ❡An delectatus fuerit coram pusillis disputare contra fidẽ: contra ĩmortalitatẽ animæ: quasi ipse nõ credat aliam uitam seu penas inferni uel gloriam paradisi. & ita seruitores pusilli scandalizantur. ob idqꝫ se ĩmergunt lasciuiis huius uitæ dicẽtes alteram uitam non esse postq̃ nec patres maiores credunt eam. ❡ An in ludo schachorum alearum ue multũ tempus amiserit: delectatusqꝫ fuerit interesse choreis aliisue spectaculis non religiosis. ❡An se totum immerserit secularibus negociis temporalibusue: magisqꝫ curauerit externa hec omnia aut bona corporis q̃

animarum quæ æterna sunt. cũ huiusmodi dignitates pro
pter spiritualia pricipaliter ordinata sunt / q̃ propter tem
poralia. Et qui magis uacat tẽporalibus q̃ spiritualibus di-
citur esse secundum Augustinum sal infatuatum euange-
lii. ¶ An in gubernatione familiæ correctioneq́ uitiorũ
multũ furibundus clamorosusq́ fuerit: modestiamue om
nem amiserit: quæ principibus ecclesiasticis præcipuũ or-
namentum est. An proprias iniurias ulcisci uindicareq́ uo
luerit: cum patientiæ exemplum suis subditis esse debeat.
¶ An in uestibus: uasis argenteis: paramẽtisq́: ac reliqua
suppellectile nimis pomposus superfluusq́ fuerit. ¶ An
similiter superfluam uoluerit habere familiam: fabricasq́
deauratas construere uoluerit cũ scandalo secularium / ac
contra Ambrosii & Hieronymi sententias. xii. q. ii. c. Au
rum. &. c. Gloria. &. xii. q. i. c. Episcopus ecclesiasticarum.
¶ An parcis studiosius fuerit. omnes patientia superans.
nemini adulator / licet omnibus affabilis esse debeat. de
præsidentia dignitatis non gaudens: quin magis de one-
re animarum sibi commissarum dolens: cũ summe formi
dare debeat cogitans de singulis sibi cõmissis districte in
hora mortis debere iuxta Gregorii sententiã rationẽ red-
dere. ¶ An studio litterarum toto pectore nõ incubuerit:
librisq́ sacris magisq̃ secularibus negociis non oblectatus
fuerit. ¶ An ad faciẽdas elemosynas manus profusas nõ
habuerit cognoscẽs q́ quæcũq́ bona fidei suæ commissa
sunt: substantiæ pauperũ sunt: ac purgamẽta peccatorũ se
culariũ. xvi. q. i. c. Quoniam. ¶ An nõ fecerit exequi ul

5

timas uoluntates defunctorum. uel non recte dispensauerit legata ad pias causas: aut alia bona incerta. ¶ An in cōuersatione religiosorū aliorūq; bonorū uirorum magisq̄ reliquorum hominū nō oblectatus fuerit: & ad huiusmodi conuersationes familiam propriam non icitauerit atq; compulerit. ¶ An deambulationes suæ non fuerint circa uisitationes ecclesiarum locorūq; sacrorū ac idulgentiarum: nec deuitauerit uenationes ac reliqua secularia exercitia. ¶ An concesserit pecunias suas mercatoribus ad lucrādum: permiseritq; subditos clericos quibus interdicta est negociatio id agere seu alio modo negociari.

¶ Capitulum quartū de regimine uitæ q̄tum spectat ad officia aliasq; cerimonias diuinas.

¶ An omiserit horas canonicas ex negligentia: quia pro qualibet die uel pro qualibet hora qua omittitur officiū: nisi infirmitate uel impossibilitate cōpellatur incurrit peccatum mortale: etiā si dimittit officiū beatæ uirginis quādo dicere tenetur secundum rubricas. ¶ An dicendo horas canonicas se imiscuerit aliis negociis uel exercitiis: qa uidetur mortale cū non satisfaciat præcepto ecclesiæ / intētioniq; legis / quæ intendit obligare tales personas per aliquod spatiū tēporis ad uacandum circa diuina. ¶ An cū somnolentia & multis oscitationibus dixerit: adeo ut nec uerba explicauerit pro maiori parte: ita q̄ tunc secūdū doctores tenet̃ reficere officiū uel dicere aliquid æquiualēs.

¶ An cum irrisionibus dixerit officium: aut leuitates fieri ab aliis passus fuerit tempore officii: ita ꝙ animus eius distractus fuerit ab officio. ¶ An cum diceret officium mēte circa alia uagauerit uoluntarie / non curans de attentione ad officiū: quia uidetur mortale. Secus est si proposuerit uelle attendere sed distrahitur: & tamen cum aduerterit displicet ei: quia attentio uirtualis sufficit secundum doctores. ¶ An dixerit matutinum hora tertiarum: uel uesperas quarta hora noctis: uel horas nō dixerit nisi cū maxima ipsarum trāsmutatione: uel omnes horas simul īglutierit quo liberius uacet nugatiōibus nō necessariis. ¶ An cum iuit ad refectiones benedixerit mensam & quæ cibo sumpturus est. Similiter an post ciborum sumptionē egerit gratiarum actiones ut præcipitur di. xliiii. c. Non licet. ¶ An in conuiuiis fecerit aliquos legere sacras lectiones ut dicitur di. xliiii. Pro reuerentia. Nam dum corpus reficitur diuersis ferculis nisi lectione retrahatur lingua in detractiōibus relaxatᷣ ut dicit Gregorius: & habetur di. xliiii. Conuiuia. ¶ An nimis negligēs fuerit ad celebrandum: quia saltem in diebus solennibus celebrare debet / ne frustra uideatur tam excellens accepisse talentum: uel ipsum in terram fodisse: quia forte non excusatur a mortali. uel si celebrauit non dictis matutinis & prima. ut est de more Romanæ curiæ: quia si etiam secus egisset tenetur de mortali secundum quasi omnes recte sentiētes. Et maxime de matutinis. ¶ An cum passus fuit pollutionem nocturnā ex causa mortali: uel quā dubitauit mortalem celebraue-

rit: quia uidetur secundum Thomam fuisse mortale. nec excusatur per confessionem ut non debeat abstinere a cõsecratione uel communione: nisi forte propter necessitatem populi excusaretur qui esset in die festo absq missa. Talis necessitas posset facere q etiã contritus & non confessus quando deest copia sacerdotis posset celebrare sine peccato cum proposito confitendi. Si uero causa pollutionis fuit uenialis: tunc peccaret uenialiter. ¶ An in confectione sacramentorum uel administratione omiserit debitam materiã. uel formam: uel ritum. In quolibet horũ est mortale / etiam si id egit ex ignorãtia crassa. ¶ An cũ multa irreuerentia seu irreligiositate tractauerit oĩa diuina. dissolutionesq fecerit ĩ ipsis: seu nugationes: risus: derisionesq. ¶ An assiduus non fuerit ad frequentiam orationum: quibus ei lumen de cælo ad regendum populum sibi commissum exhibetur & ardor ad perficiendum qđ sibi ex officio iniunctum est. ¶ An diebus festiuis uel dominicis non fuerit in ecclesia ad diuina: ut dicitur de con se. di. iii. Episcopus.

¶ Capitulũ quintum de regimine uitæ prælatorum quantum spectat ad curam aliorum.

¶ An in suis beneficiis maxime ubi habetur cura animarum non posuerit uiros prudentes: doctos: & timoratos: quia si ignorantes & iniquos: & tales cõmiserint errores sibi imputabuntur. ¶ An non dederit operã ut suis tem-

poribus omnia suis subditis impēdant sacramēta: ut crisma: consecrationes: reliquaqꝫ omnia sacra necessaria: quæ si sua negligentia omissa erūt non excusabitur a mortali. ¶ An nō curauerit ut summo studio omnes ecclesiæ suis diocesibus subiectæ per idoneas sanctasqꝫ psonas uisitentur: maxime si id munus ipse perficere non poterit aut noluerit: cū iure cautum sit ut semel in anno omnes ecclesiæ ab episcopis uisitētur. x. q. i. Decernimus. &. c. Episcopū. Et ꝙ in ipsa uisitatione crimina puniantur: quia alias quęcunqꝫ inordinata cōmissa fuerint sibi ascribentur. ¶ An quando fecit uisitare uel ipse uisitauit / magis motus fuerit spe census uel lucri q̄ salutis animarū. ¶ An in huiusmodi uisitationibus nimiū aggrauauerit uel permiserit aggrauari subditos suos aut ecclesias sibi subiectas: ipsasqꝫ uisitationes nō fecerit cū paucis seruitoribus paucisqꝫ equis: propter euitandas expensas superfluas pauperum sacerdotū: quia quandoqꝫ uno die fit consumptio ciborum multorum dierum. ¶ An concesserit uices suas / aut iurisditionem suā: quæ est quid spirituale: aliquibus sub aliquo precio: uel sub ānuo censu: contra id quod dicitur extra Ne prælа. uices suas. c. i. ii. &. iii. ¶ An in huiusmodi uisitationibus a se factis non correxerit sacerdotes notorios concubinarios adulteros ac omnia alia uitia criminalia manifesta dico manifeste & secreta secrete. Et illa de quibus habuerit aliqualem notitiā ulterius non quæsierit uel subtilius inuestigauerit. Et hoc ex negligentia crassa uel muneribus uictus uel timore humano: quia non excusatur a mor

tali nisi forte id faceret ad uitandum maximū scandalū. Secundum. n. Augustinū ad Valeriū: Nihil in hoc mundo tristius miserabilius: & dānabilius episcopi dignitate / si perfunctorie: idest negligenter & adulatorie res agatur. di. xl. Ante omnia. ¶ An doctrina: exhortationibus: & exēplo sanctitatis conatus non est sibi subditos deducere ad pascua uitæ. Et si ipse ignorauerit uel nō habuerit exercitium declamandi in populis / nō est conatus habere optimos præcones christi: qui populos ad uirtutem inflamment & retrahāt a uitiis & hmōi. ¶ An si ipsemet prædicauerit populis sibi subiectis id egerit in peccato mortali: quia totiens peccauit mortaliter quotiens prædicauit: secundū Tho. Leuitici. xxi. erat præceptū ut qui haberet maculā nō accederet ad ministeriū aliquod dei sui. quod itelligit secundū Gregoriū de peccato mortali di. xlix. Hinc eteni. ¶ An in diffiniēdis causis dādisq; sentētiis prætermisso ordine iuris / suo se uoluerit capite regere tanq̄ optimo decreto: uel noluit iudicare cū deberet: & ex hoc aliqs amisit ius suū / grauecq; passus est detrimentū: quia mortaliter peccauit. teneturq; secundum doctores ad æstimationem litis. ¶ An odio: amore: timore uel censu protulerit iniquas sentētias. aut id etiā egerit ex ignorātia crassa: quia nō excusatur a mortali. & tenet parti læsæ / si ille pro quo sniam tulit nō uult satisfacere. ¶ An magis punierit subditos pœna pecuniaria ex auaritia q̄ alia pœna. ¶ An fecerit uerberari clericos per manus laicorū: nisi quādo essent icorrigibiles: quia periculū est excōicationis. ¶ An

nimis uelox fuerit ad fulminãdas excõicationes præcipiẽ-
dũq; oĩa sub cẽsuris ecclesiasticis: & maxime ĩ his ĩ quibus
ei subditus nõ tenetur obedire: utputa reuelare peccata cri
minalia aliorũ occulta & similia: quia tũc etiã nõ excusat
a mortali. ¶ An in ĩquisitionibus criminũ: accusationi-
bus: denuntiationibus: uel ꝓlationibus sñiarum & hmõi
præcipitãter nimis se gesserit cũ scãdalo & detrimẽto sub-
ditorũ. ¶ An in iudiciis excesserit fines auctoritatis suæ
uel mãdati: quia nõ excusaretur faciliter a mortali. ¶ An
dũ iudicare tenetur nõ elegerit auditores: assessores: uel cõ
sultores doctos: ne aliquid præcipitanter uel ignoranter
ageret: quia nõ excusaret a peccato & a restitutione dãni
dati si secus fecisset. ¶ An acceperit pecuniã cũ sit iudex
ut iudicaret etiã iuste: quia nõ excusatur a mortali. Mode-
rata tñ enxenia põt accipere di. xviii. de Eulogiis. Delega
tus tñ põt accipere moderatas expẽsas ꝓ se & ꝓ assessores.

¶ Capitulum sextum de regimine præla-
torum quantum spectat ad excellentiam
dignitatis auctoritatisq; eorum.

¶ An cum fuerit inter primates ecclesiæ non conatus sit
etiã alios præcellere sanctimonia: doctrina: prouidẽtia &
sapientia. nolueritq; ut congruum est locum illum ornare
summis uirtutibus. Nã Cardinales secundum doctores re-
præsentãt angelos assistentes domino / & præsertim Sera-
phim: & Episcopi angelos missos. ¶ An ĩ creandis eligẽ

disq; aliis nouis cardinalibus magis secutus fuerit fauores uotaq; principũ / q̃ rectum cõscientiæ iudiciũ. ¶ An elegerit aliquos cũ conuentione & promissione suo℞ uotorũ de rebus suis in conciliis proponendis: aut saltẽ de electione ipsius uel eius amici quẽ ipse uoluerit in futurũ põtificẽ. ¶ An magis elegit cariores sibi q̃ sanctiores & utiliores ecclesiæ dei seu qui forent ad præcipuũ ornamentũ illius collegii. Nam cardinales a spiritu sancto iudices orbis constituti sunt. ideo præcipua sanctimonia nitere debent. Sunt etiã consultores orbis. ideo singulari doctrina debent fulgere. Sunt demum rectores uniuersi orbis. ideo ætate grãdeui: aut saltẽ usu multarũ rerũ debent præeminentes esse. ¶ An in relationibus quæ de more pro assumẽdis ad dignitates suis in cõciliis fiunt / non iuxta rei ueritatem & promouendi mores aliis patribus pure & recte retulerit: quia tunc eorum collegium ueritate & rectitudine iudicii / eius opera fraudat᷑. ¶ An ab aliis patribus uota in fauorẽ suorum promouendorum iniuste extorserit etiam cum pollicitatione de rependendis sibi alias huiusmodi iniquis uotis: quia non excusaret᷑ a mortali. ¶ An reuelauerit quæ dicta uel tractata sunt secrete in eorum cõsistorio: uel habet a pontifice sub silentio: aut scripserit extra curiam & maxime principibus ad occupandum eorũ gratiam: uel ad beneficia consequenda. ¶ An quandoq; consuluerit pontifici in his quæ sibi ad ruinam & ignominiam futura sunt. Et an idipsum egerit cum aliis patribus sui collegii quasi aliorum opprobrium ad eius cedat singu

larem gloriam. ¶ An promisit uotum suũ extra consisto-
rium & ad partem in re graui: cum id quandoqꝫ cedat ad
scandalum sui uel confratrum suorum / & contra essentiã
sui officii sit. Nam substantia officii cardinalatus est bene
consulere. Consiliũ autem secundum Aristo. iii. ethicorũ
est de re dubia: & quæ longo indiget discursu. Auditis. n.
postmodum rationibus aliorum patrum contra id quod
faciliter promiserat si id noluerit seruare leuis aut infide-
lis existimabitur. Sed si id inique seruare uoluerit / ad per
tinaciã in malũ & ad sui ipsius interitũ attribuetur. ¶ An
demũ in oĩbus cõsultatiõibus: diffinitionibus: seu uotorũ
exhibitionibus: reliquisqꝫ in suis conciliis ꝓponendis ani
mũ non seruauerit liberũ / imo magis secutus fuerit factio
nes: odia: amicitias: propriaqꝫ commoda. ¶ An etiam ĩ
proponendis in conciliis timore aut gratia pontificis seu
aliorum patrũ libere loqui noluerit: ob idqꝫ aliquid diffi-
niri uel concedi ꝑmiserit ubi dei uel proximi offensa in-
teruenerit: & sic a culpa mortali non excusabitᷣ. ¶ An si-
militer timore uel gratia humana deuictus: quod consciẽ
tia sibi dictauerit defensare uel libere oppugnare nolue-
rit. Et licet ea in re dei offensa directe non interueniat: ta-
mẽ maius bonum honoris diuini: ecclesiæ commodi: uel
iustitiæ proximi omittitur: quod forte ex sua libera cõsul
tatione sortiretur effectum. ¶ An ĩ electione summi põ
tificis uicarii christi / successoris Petri / pastoris uniuersalis
ecclesiæ / non elegerit meliorẽ doctioremqꝫ. ¶ An ante
ingressum conclauis promisit etiam cum iuramento dare

c

uota alicui inepto aut minus idoneo ad tantũ onus guber nationeq́ꝫ uniuersi populi christiani. ¶ An ut ipse etiam consequeretur uotum alterius huiusmodi ineptissimo dedit uota sua. ¶ An spe præmii: uel promissiõe pecuniæ: officii uel domus. aut beneficii: seu cuiuscũq́ꝫ alterius quæ præcio æstimari possunt pollicitus ẽ ipse uota sua. ¶ An talia oblata ob hmõi exhibitionẽ suffragiorum postmodũ acceperit: quia nõ excusaretur a symonia graui. ¶ An ut nõ darentur uota digno & benemerẽti sibi detraxerit ĩ rebus grauibus & criminalibus: aut quocũq́ꝫ alio modo. ¶ An similiter permiserit uiolari ecclesiasticã immunitatẽ & dignitatem ut uidelicet debitores aliiq́ꝫ facinorosi homines extrahantur a locis sacris: aut ꝙ clerici cõuenientur a iudicibus secularibus seu puniãtur: aut ꝙ bõa seu eius iurisdictio a secularibus usurpentur. ¶ An similiter fecerit clericos soluere talias: gabellas: pedagia: aliasq́ꝫ angarias: uel saltem permiserit: quia eos pro uirili sua nõ defensauerit: cum ad eum maxime spectet: Et iure ãtiquo & nouo clerus ab hmõi oneribus ĩmunis esse debeat. ¶ An in uotis & iuramentis: aliisq́ꝫ sententiis & casibus sine causa rationabili dispensauerit. & præsertim de his in quibus non potuit: cum illud graue sit crimen. Sed longe magis si dispensauit de operibus perfectionis: ut de uoto castitatis & religionis: ubi secundum doctores nõ datur melior cõpẽsatio. ¶ An saltem fuerit mediator uel consultor huiusmodi dispensationum: quæ secundum Bernardũ potius dicendæ sunt dissipationes q̃ dispensationes: quia te-

netur ad omne damnum quod inde sequitur. Et tale sic dispensati sine causa urgēti & necessaria nō sunt tuti quo ad deum. ¶ An ipse ob dignitatē excellentē cōtempserit iura & decreta sanctæ Romanæ ecclesiæ: uel nō existimauerit excōicationes & alias censuras ecclesiasticas: non feceritq; existimari a subditis suis: passusq; fuerit eos sciērer sponte participare cū excommunicatis a papa in diuinis: quia & ipsi incurrunt in eandem excommunicationē papalem: ut extra. de sen. ex. Significauit. ¶ An susceperit & tutatus fuerit causas religiosorum: pauperum uiduarū: pupillorum: & afflictorum: quoniam prælati debent esse patres & tutores huiusmodi personarum: ut di. lxxxvii. p totum. ¶ An demum cum dicātur cardinales super quos uniuersus orbis rotari debet / nō direxerit oculos suos semper ad dominum & ad incremētum ecclesiæ sanctæ eius: cuius præcipua illuminaria esse debent. Necnon ad ædificationem & profectum omnium gentium quæ sub cælo sunt: & quarum partes præcipui appellandi sunt.

¶ Explicit breue scrutatoriolū p cōfessionibus cardinaliū reliquorūq; p̄latorū a Celso Mapheo Veronēsi canonico regulari cōgregatiōis Lateranēsis cōgestū. ¶ Incipit eiusdē aliud breue scrutatoriolū peccatorū pro cōfessionibus:



PRimo habendæ sunt conditiones confiteri cupientis: scilicet an peregrinus: an uxoratus: quæ sit eius ars & his similia. ¶ Secundo a

quo tempore citra confessus aut communicatus non est:
¶ Tertio an tunc omnia dixerit sacerdoti peccata: seu in aliquo ei mentitus sit. ¶ Quarto an tunc perfectam habuerit contritionem & propositum satisfatiēdi de omnibus tunc sibi necessariis. ¶ Quinto an compleuerit omnia sibi iniuncta: & an in statu gratiæ: quia quædā in peccato mortali nō ualent secundū Thomam & nonnullos alios: ut orationes & cætera. Et si non fecit utrum recordetur pœnitentiæ. ¶ Sexto cui confessus est: utrum habenti utranq3 clauem. s. scientiæ & potestatis. Nam in similibus homo reiterare tenetur confessionem aliquo modo.
¶ Septimo an nunc de omnibus offensis doleat & uelit satisfacere: atq3 aliena reddere si habeat. ¶ Octauo an nunc sit excōicatus uel fuerit tunc quando alias confessus fuit: quia non fuit capax absolutionis nec nunc esset nisi prius habita absolutione ab excōmunicatione. ¶ Numerus semper mortaliū peccatorum dicendus est: qui si pro certo sciri nō potest / iuxta id quod cōiecturatur dici pōt.

SVPERBIA.

Superbia est inordinatus affectus propriæ excellentiæ.
¶ Primo homo scrutari potest an deo nostro fuerit subditus in omnibus: cognoscens ab ipso corporalia & spiritualia beneficia: & ex hoc gratias ei debitas reddiderit: atq3 in omnibus nomini eius laudes ascripserit: necnō eum ob hoc super omnia dilexerit. ¶ An eius fidei fuerit subditus: idest omnia necessaria crediderit & symbolum sciuerit. ¶ An aliquo genere nicromātiæ usus fuerit. ¶ An

cæteris incantationibus: ſortilegiis: diuinationibus: ſigna tionibus infirmitatum: breuibus: obſeruationibus uanis dierum uel ſtellarum: aut huiuſmodi uetularum deliranti um porrẽtis ſeu ſomniis uſus fuerit aut crediderit. ¶ An nomen dei in uanum aſſumpſerit: ideſt iurauit in mendã cio uel ſine cauſa. ¶ An peierauerit ſoléniter. An nõ ſo- lenniter tamen ſcienter aut in damnum alterius. ¶ An execratione uſus ſit: puta dicens: Si hoc non agam poſſim damnari / uel illud mihi accidat. ¶ An fecit quempiam iurare quẽ ſciebat falſum iuraturum: quia occidit animã eius & ſuam iuxta Aug^m. ¶ An blaſphemauerit deũ uel ſanctos uel ignominioſe dixerit per membra ipſorum & cætera. ¶ An maledixerit deum uel ſanctos: uel dixerit eum hoc nõ poſſe: & his ſimilia: ut cõtra uelle eius hoc fa ciã. ¶ An ſtulta uota & illicita fecerit & ĩpleuerit. ¶ An uota honeſta & licita implere omiſit. ¶ An celebrauerit dies feſtos: audiendo miſſas / non laborãdo / & quieti di- uinæ uacando. ¶ An ĩ eccleſiis & ſacratis locis illicita cõ miſerit. Seu rebus ſacris abuſus fuerit. ¶ An maioribus tẽ poralibus & ſpũalibus obediens fuit uel ſubiectus. ¶ An debitis honoribus proſecutus eſt: ac neceſſaria prouiderit maxime parẽtibus & domeſticis. ¶ An ſe de his iactaue- rit quibus minime præditus eſt / ſcientia: exiſtimatione: ſanctitate: fortitudine: prudentia: fide: pulchritudine: ſan guinis antiquitate: diuitiis: cæteriſq; uirtutibus. ¶ An ſi ornatus fuerit iis: tamen ſe extulerit perinde ac proprio ingenio induſtriaq; iſtæc oĩa aſſecutus ſit / nõ dei gratia.

11

¶ An de his passim se laudauerit uel laudari uoluerit & si a deo cognoscat. ¶ An cæteros despexit appellans homines nullius mometi aut existimationis uel īgenii. ¶ An clericos aut religiosos despexit appellās ipsos hypocritas tanq̄ ipse rectius ambulet. ¶ An statū suū statui religiōis ꝑposuit. ¶ An ornatu inusitato uel eius facultatibus non cōueniēti usus est. seu uxorē uel filios passus est uti. ¶ An circa ornatū multū tēporis cōsumpsit. uel ipso inaniter delectatus est. ¶ An se ornauit ut quospiā in sui libidinem excitet. ¶ An singularis in omnibus apparere uoluerit. s. dicto: opere: ornatu: & similibus. ¶ An de se nimiū præsumēs periculis mortis exposuerit. s. aut hastiludiis uel huiusmodi. ¶ An alios ad id īduxerit: præsertim ad cursum equorum & cætera. ¶ An se de malis iactauerit: aut mala seu bona defēnsauerit: uel se humiliare noluerit de suis excessibus. ¶ An nimis de misericordia dei præsumpserit: & ob hoc noxia est aggressus posthabito timore dei.

Auaritia.

Auaritia est non rectus appetitus rerū tēporaliū extrinsecarū ¶ An supra deū & ꝓximū iustitiā & uirtutes / pecuniā dilexerit: adeo ꝙ eius gratia oīa illa cōtēpserit. ¶ An furtū cōmisit. An rapinā. ¶ An quēpiā ad huiuscemodi adiuuauerit. præsertim cōtra Romipetas & peregrinos: qa papalis excōicatio est ꝑ curiæ ꝓcessum. ¶ An sacrilegiū ppetrauit. ¶ An hmōi suo auxilio uel consilio peracta sint. ¶ An usurā uel pecuniā uel aliis rebus quibus cōmitti potest. s. uino / frumēto / fecit. ¶ An fecit stoca uel alios con

tractus in fraudē uſuræ noīe.ſ.emptionis uēditionis & locatiōis. ¶ An mutuauit ut acciperet aliquid ultra ſortem uel aliquod ab eo cōſequeretur obſequiū:quia ſapit uſurā. ¶ An in ſocidis animaliū uſuræ ſpeciē exercuit.ſ. uolens capita īmortalia. ¶ An ꝑpter temporis dilationē uēdidit maiori præcio. An cābia illicita fecit:ſicca uidelicet. ¶ An ſine neceſſitate accepit ad uſurā / ſeu mala ītētione. ¶ An in emptionibus & uēditionibus commiſit exceſſum circa maius & minus. ¶ An uēdidit rē unā pro alia:ſeu corruptā pro bona. ¶ An ſit peccato ſymonię irretitus. ¶ An decimarū debitū perſoluerit. ¶ An ludo fortunæ maculatus ſit. ¶ An datia fraudauerit. ¶ An aliquid acceperit pro actu turpi.ſ.ꝑ meretricio / ſodomitio / aut ꝑ labore ī diebus ſolēnitatū. ¶ An īſtrumētis uel litteris falſis aut teſtibus uſus ſit. ¶ An mēdacium ꝑnitioſum uel ſui gratia uel alterius dixit:quia mortale. Q uodcūqꝫ enim mendaciū iuxta auguſtinū peccatū eſt ueniale uel mortale : nec uſq̄ aut unq̄ eo uti licet: ¶ An res alterius ad eius manus ꝑuenerint quoquo modo. ¶ An ob auaritiam familiæ & ſeruis neceſſaria nō prouiderit. ¶ An diſtulit dare mercedē operariis indigentibus. ¶ An etiam pecunias uel res alienas aut ſuas prodige ac ſine rationis ordine diſtraxit atqꝫ conſumpſit.

Inuidia.

Inuidia ē dolor alieni cōmodi / & gaudiū īfortūii. ¶ An īuidia gloriā & cōmodū cuiuſpiā īpediuit. ¶ An alicuius famā uel exiſtimationē minuit / ei aliqđ obiiciēs crimen.

¶ An rixas discordias ue inter amicos propinquos extraneosq; disseminauit. ¶ An murmurationes atq; susurrationes hinc inde contra proximũ sparsit. ¶ An in malã partẽ ꝓximũ iudicauit seu sinistri aliqd de eo suspicatus ẽ nullis tamẽ eum ad id impellentibus iudiciis. ¶ An gaudiũ de eius incõmodis seu tẽporalibus seu spiritualibus suscepit seu stulte i chachinũ prorupit. ¶ An secreta cuiusq̃ reuelauerit præsertim habita sub cõfessiõis sigillo. ¶ An ptes & factiones secutus est ex quo ꝓximi pditionẽ optat: ¶ An amicis eius inimici optauit incommoda multa. ¶ An etiã de ꝓfectu alterius sine modo rationis exultauit / & præsertim quãdo nõ sunt de spectãtibus ad deum & uirtutes. ¶ An suis adulationibus aliquẽ in errorẽ induxit uel elationẽ. ¶ An aliquorum male acta applausũ suo cõmẽdaris / & ex hoc illi in malum confirmantur.

GVLA.

Gula est irrationabilis affectus ciborum uel potus. ¶ An fregit ieiunia de pcepto: & an ipsis diebus comedit cibos illicitos: puta caseũ & oua. ¶ An inebriatus est sciẽter. s. arbitrãs uinũ obfuturũ sibi. ¶ An crapulatus est usq; ad uomitũ. ¶ An gula comedit nociua animæ & corpori & ob hoc lõgiorẽ passus est ĩfirmitatẽ. An tẽpore infirmitatis cõtra medici regulas cõtraria comedit. ¶ An cibis nimis laute cõditis functus est. ¶ An horas cõgruas ex ingluuia nõ expectauit: & in comedẽdo nimiã habuerit delectationem. ¶ An aliqua ad libidinem prouocantia dedita opera uel sciẽs sumpserit. ¶ An fuerit causa inebria

tionis in altero: aut fractionis ieiunii.

IRA.

Ira est animi ĩmoderata indignatio contra quodcũq; sibi oppugnãs. ¶ An ex ira primo aliquẽ occiderit. ¶ An aliquẽ mutilauerit seu uerberauerit: aut sanguinẽ effuderit / maxime psonæ ecclesiasticæ. ¶ An ad horũ similia desiderium habuerit: & quotiẽs determinate. ¶ An eius cõsilio uel pcepto uel pmissione in quãtũ prohibere potuerit tale quid perpetratũ sit. ¶ An ex odio aliquem alloqui noluerit seu aspicere. ¶ An maledixerit parẽtes: aut cuipiã cõuitia dixerit: uel blasphemia quadã sibi malum optauerit. ¶ An ex ira in deũ uel sanctos eius ĩdignatus sit / uerba ploquẽdo insulsa: ut dicẽs deus iniustus uel partesanus est: & cætera. ¶ An mortem sui ipsius optauerit ira quadam. ¶ An ira fregerit quodcũq; obuiũ ĩuenerit. ¶ An maledixerit animas defunctorũ. Seu diabolũ inuocauerit ĩ eius patrociniũ. ¶ An maledixerit diẽ & horã natiuitatis / baptismũ / & similia. ¶ An ira nimis clamorosa atq; ĩtonãtia semper effuderit uerba. ¶ An quodcũq; istorũ præsentia filiorũ seu aliorũ puerorũ egit qui eius exẽplo ad hæc incitantur. ¶ An etiã sua ignauia atq; superflua animi tranquillitate uel etiam aliquo humano respectu uel metu familiam seu quoscunq; errantes non correxerit: maxime quando ei ex officio incumbit. ¶ An etiam puniens aliquẽ / & si iustitiæ seruet regulas: tamen odio atq; mentis indignatione id explet. ¶ An ueniam sibi petẽtibus noluerit præstare: uel ipse petere si cuiq; fuit molestus.

d

13

Luxuria est intẽperatus aĩus circa uenereos actus. ¶ An primo tenuerit cõcubinã.s.mulierẽ solutã. ¶ An fornicationẽ cõmiserit: cũ quãtis / & quotiẽs. ¶ An adulteriũ.i. cũ uxore alterius. ¶ An stuprũ.s.cum uirgine. ¶ An incestum: quod est cum coniunctis uel cõsanguinitate uel affinitate seu cognatione legali uel spirituali. ¶ An sacrilegium: quod ẽ cum sacris personis. ¶ An raptum: quod est per uim. ¶ An seduxit aliquã pollicens ei perpetuã fidem matrimonii. ¶ An cũ uxore usus est in loco non debito aut modo nõ rationali sed pecudũ more: uel cũ quacũq; alia. ¶ An dum cũ uxore esset habuit animũ ad aliam: quia mortale. ¶ An tempore menstrui se abstinuit. ¶ An quando est pregnans: propter periculum partus. ¶ An diebus solẽnitatũ se abstinuit: seu ieiunioꝝ tapore. ¶ An cũ uxore nõ causa prolis aut iustitiæ seruãdæ sed sola infrenata cõcupiscentia est usus. ¶ An debitum uxori reddere noluerit: quia tenetur. ¶ An multũ impudice se habuerit circa tactus oscula & similia: quæ iuxta Aug^{m}: sacro nõ cõueniunt matrimonio. ¶ An dum esset cũ muliere egit ut ipsa nõ conciperet: aut abortiuum emitteret. ¶ An se cũ masculis miscuit actiue uel passiue. ¶ An in hoc aliqua uis uel fraus fuit uel inscio patiente. ¶ An seipsum polluit: uel causa fuit alterius pollutionis. ¶ An in bestialitatem incidit scilicet cum brutis. ¶ An in loco sacro aliquid horum accidit: uel diebus sacris. ¶ An ex tactu uel osculis pollutio ĩ altero ipsorum secuta est. ¶ An

b

amoris scripsit littteras seu legit libros ad libidinē prouocantes: ut eis accendatur in malum. ¶ An cantauerit huiuscemodi inhonesta. ¶ An duxit alios ad procandum. ¶ An mediator horum malorum fuit scilicet præbendo domū / modū / & cætera. An deliberauerit cū aliqbus peccare: & cū quātis / q̄libus / & quotiēs. ¶ An cōsenserit delectationibus libidinis: nā si actū nollet / peccat tñ mortaliter. ¶ An hoc uitio tātū corruptus fuerit ꝙ ifirmatus sit.

ACCIDIA.

Accidia tedium est circa bona spiritualia & corporalia. ¶ An cum tedio audierit missas & prædicationes cæterasq; diuinas laudes. ¶ An negligens fuerit circa orationes: contemplationes: lectiones: confessiones: penitentias: & cætera spiritualia. ¶ An negligenter se habuerit circa prouisionem corporalium rerum uel temporalium necessariarum. ¶ An satisfecerit officio si quod sibi iniuctū fuerit. ¶ An sit assuetus multū dormitare uel stertere. s. usq; ad horā tertiarū. ¶ An pœnituit se benefecisse. ¶ An spe cōfitendi peccauit. ¶ An uanis noxiisq; uerbis atq; fabellis operam dedit. ¶ An a peccatis magis ratione pœnæ se abstinuit q̄ ratione dei offensæ. ¶ An morum imcompositus fuerit. ¶ An choreis multū delectatus sit. ¶ An nō fuerit diligens ut familia eius spiritualibus uacet. ¶ An cuiq̄ uolenti bona operari impedimēto fuit. ¶ An omisit implere septem opera misericordiæ corporalia & spiritualia: q̄ his uersibus cōtinētur. Cōsule castiga solare remitte fer ora. Visito poto cibo redimo tego colligo cōdo.

1.4

¶ Poteſt examinari de tribus uirtutibus theologicis / fi-
de / ſpe / charitate. ¶ De quattuor etiã cardinalibus: ſcili-
cet prudentia / tẽperantia / fortitudine / & iuſtitia. ¶ De
decem præceptis legis. ¶ De quinq; ſenſibus corporis: &
his ſimilibus.

¶ Explicit breue ſcrutatoriolũ ſeu monumẽ
tũ cõpẽdioſum pro cõfeſſionibus a Celſo Ma
pheo Veronẽſi canonico regulari cõgeſtũ.

¶ Ad Reuerẽdiſſimũ Dominũ Cardinalẽ ſancti Marci:
Quomodo apoſtoli & clerici primitiuæ eccleſiæ erãt Re
gulares: uiuebantq; in communi: & uota perfectionis uitæ
emittebant: Per. D. Celſum Mapheũ Veronenſem cano-
nicũ regularem congregationis Lateranenſis.

Euerendiſſime Pater & Domine / Quod cleri
ci regulares & pfecti primitiuæ eccleſiæ emitte-
bãt uota ad opera ſupererogationis uel xpianæ
pfectionis: in præſenti ſeptẽ rationibus uel auctoritatibus
pbabo. ¶ Prima eſt ex ſcriptis Vrbani papę martyris: ut
hẽtur. xii. q. i. c. Scimus. ubi dicit q uiuere in cõi uiget etiã
tũc inter illos: qui in ſortẽ domini electi ſunt / clericos. Et
infra dicit: Quicũq; ueſtrũ uitã cõem ſuſceptã habet: &
uouit ſe nihil ppriũ habere: uideat ne pollicitationẽ ſuã
irritã faciat. Et infra: Melius eſt nõ uouere: q̃ uotũ / prout
melius poteſt / non pficere. grauius. n. puniuntur / qui uo
tũ fecerũt / & uotũ nõ pfecerũt: q̃ illi qui ſine uoto mor-
tui ſunt & cætera. ¶ Secũda ratio uel auctoritas eſt p excẽ

plum Ananiæ: qui nõ fuerat clericus: & tamẽ uotũ de pau
pertate fecerat. quanto magis illi qui erãt clerici regulares
pfecti & apostoli uotũ faciebãt? Quod autẽ Ananias fece
rit uotũ pauptatis patet. nã beatus Gregorius in registro /
& hẽtur. xvii. q. i. c. Ananias. dicit. Ananias deo pecunias
uouerat: quas postea uictus suasione diaboli subtraxit: sed
qua morte mulctatus est scis. Et infra: Sic & tu qui sub mo
nachali habitu deuoueras. ¶ Tertia ratio uel auctoritas ẽ
ex maxima sanctitate: quæ erat tunc in illis uiris apostoli-
cis: quæ maior fuit oĩbus uiris sanctis ante aduẽtũ christi:
uidelicet patriarchis & pphetis: & etiã illis qui fuerũt post
eos. quia oẽs doctores tenẽt ꝙ apostolis fuerit data maior
copia spiritussancti / q̃ quibuscũq; sanctis præteritis & fu-
turis: & ex cõsequẽti opera eoꝝ erãt pfectiora & sanctio
ra & maioris meriti q̃ opera aliorũ sanctoꝝ. Sed secundũ
theologos & canonistas omne opus perfectum qđ fit ex
uoto est maioris meriti: q̃ qđ fit sine uoto. Ideo ĩ psalmo
hortat̃ Propheta: Vouete & reddite. Et Moises in lege ue
teri dicebat. Quã frequẽtius hoc uouetis domino: ut san
ctũ sit. Sed apostoli tũc diuino lumine illustrati hoc noue
rãt / & ardebãt summo desiderio se deo deuouere cũ suis
rebus & corpore & aĩa. Ideo Petrus xp̃o dixerat: Ecce nos
reliquimus oĩa / & secuti sumus te & cætera. Sed lõge ma-
gis hoc egit post aduẽtũ spiritussancti cũ reliquis aposto-
lis. quia christus dixerat: Si uis pfectus esse: uade & uende
oĩa quæ habes: & da pauperibus: & sequere me. & nisi qs
renũtiauerit oĩbus quæ possidet & cætera. Et alibi de casti

15

tate: Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cæ lorum: Et de obedientia: Qui uult uenire post me abne- get semetipsum: & tollat crucē suam: & sequatur me. Hęc oīa egere primi regulares clerici: qui se ardētissime ad mar tyriū exponebāt & cætera. Immo possumus dicere ꝙ es- set quasi hereticū / uel saltē male dictū / ꝙ fuerit aliqua p- fectio in ecclesia dei: quā non habuerūt apostoli & primi clerici ecclesiæ dei. uel ꝙ ipsi apostoli non fuerint assecuti oēm uiā pfectiōis / seu uotū uel omne cōsiliū dei de operā dis operibus ex uoto: ut ipsa opa essēt sāctiora. ¶ Quar tā ratio uel auctoritas est ex dictis sācti Thomæ i. iiii. sen. d. xxxviii. ar. ii. q. iii. iii. respō. iii. arg. q dicit: ꝙ anteq̄ essēt iste regulæ approbatæ / quæ mō sūt / erat aliqs modus ui- uēdi ab ecclesia approbatus: quo mō aliq ad ea quæ sūt su pererogatiōis & religionis se obligabāt. & tūc certi tem- poris obligatio ad illū modū uiuēdi idem faciebat: quod nunc facit obligatio ad certā regulā. Idē in. iiª. iiᶜ. q. lxxx- viii. ar. iiii. iii. respon. ult. arg. dicit: ꝙ apostoli uouerūt ea quæ ptinēt ad pfectionē. ¶ Quinta ratio uel auctoritas ad probandū ꝓfessionē clericoꝝ sumitur ex sermone bea tissimi Augustini de cōmuni uita clericoꝝ: cuius pars po- nit̄. xii. q. i. c. Certe. ubi Augustinus dicit: Certe ego sum qui statuerā sicut nostis nullū ordinare clericū: nisi q uel- let mecū manere: & si uellet discedere a proposito recte ei tollerē clericatū. & infra dicit: Quis nescit malū esse cade re a ꝓposito: sed peius est simulare propositū. Qui socie tatē cōmunis uitæ iā susceptā quæ laudatur in actibus apo

stolorũ deserit: a uoto suo cadit: a ꝓfessione sua cadit: ob-
seruet iudicẽ / sed deũ / nõ me. Et ĩfra. Ego scio quãtũ ma
lũ sit / ꝓfiteri sanctũ aliquid: nec ĩplere. Vouete inquit &
reddite deo uestro. & melius est nõ uouere: q̃ uouere & nõ
reddere. Clericus duas res ꝓfessus est: sanctitatẽ / & clerica
tũ. ꝓfessus est igitur sanctitatẽ / & cõmuniter uiuẽdi socie
tatẽ. si ab hoc ꝓposito cecidit: & extra manẽs clericus fue
rit / dimidius & ipse cecidit & cætera. ¶ Sexta auctoritas
est: quia Petrus de palude in. iiii. d. xxxviii. ar. i. diffinitio
v. de uoto. cõclusione. iii. dicit: ꝙ apostoli uouerũt obedi
entiã: castitatẽ: & paupertatẽ: q̃uis scriptura nõ exprimat.
Sicut nec de beata uirgine quã tamẽ credimus uirginitatẽ
uouisse. Immo & apostoli uidentur habuisse uotũ solẽne
pauptatis: qa ad pedes eorũ oĩa ponebãtur / nec aliqs ha-
bebat ꝓpriũ. ¶ Septima ratio uel auctoritas est Augusti-
ni cõtra Manicheos: ubi dicit apostolos oĩa tria uota emi
sisse: ut oẽm uiã perfectionis euãgelicæ consequerentur.

Augustinus demũ sanctissimus / uidẽs clericos multos uo
ta emissa nõ seruare / in ipsorũ æternã dãnationẽ: distin-
ctionem fecit. Et cum nolẽtibus clericis uota emittere uel
obseruare eos laxioribus habenis permisit: quasi de malo
minus malum eligens: ut patet. xii. q. i. in. c. Certe.

¶ Impressum Venetiis per Petrum Ber
gamensem: Anno domini. M. CCCC.
XCVIII. Mensis Marcii die. xxii.

16

